Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31624
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

dictum. quod replet in bonis desiderium tuum. Pro bono desiderio pieta-
tis effectum consecutus est. Voluit quod valuit, et velle convaluit. et secundum
voluntatis mensuram probatę probatissimum ingenium tenera lucra-
tus est etate. Illud vero maledictum puer centum annorum non solum evasit.
sed et hoc consecutus est. cani sunt sensus hominis. et etas senectutis vita
inmaculata. Nam intellectus spiritalis convalescens robore. sensus
perfecti consenuit canicie. et callis vivifici semitam pede calcans
inmaculato. privilegium promeruit gaudium prophetici. quoniam inicium
sapientię timor est domini. Crevit beatus adolescens herbardus. crevit
decus adolescentię. crevit spes iuventutis. gaudium se-
nectutis. ordinis regula. clericatus gloria. divitum ammo-
nitio. divitiarum despectio. pauperum consolatio. paupertatis
dilectio. visus cecorum. auris surdorum. claudorum pes. pater
pupillorum. viduarum adiutorium. fortunę blandientis ob-
staculum. adversantis provocator. carnis refrenator. spiritus
assectator. ac pauperiorum penuria. totius virtutis armarium. ac
sancti spiritus electum vasculum. Crevit ipse in robur corporis. crevit
in ipso robur virtutis. Didicit iam irasci viciis. temptationibus
occurrere. pugnare cum desideriis. ieiunia non horrere. despicere
nuditatem. contemptum habere vestitum. iugulare superbiam. hu-
miliare gloriam. gulam castrare. dare mutuum amicis. ignoscere
inimicis. non acquiescere detrahentibus. afflictis compati. pro mi-
seris misereri. congaudere gaudentibus. flere cum flentibus. divi-
nis laudibus adesse. bonorum cetibus interesse. de omnibus querere. nichil
negligere. Talibus igitur insistens vestigiis. eternę vitę semitam in-
gressus est. non retardabat eum tamen etas infirmior. quoniam incita-
bat voluntas promptior. Cum vero lustrum exagonale primum
egressus esset beatus vir herbardus. evacuans omnia quę erant parvu-
li. virilis animi robur arripuit. diligendo timens dominum.
timendo diligens proximum. mundialibus abstinere. divina ve-
nerari. pernoctare in orationibus. intendere psalmodiis. compunc-
tione lavari. spernere carnalia. suspendi ad eternalia. et quod
plures utuntur ad voluptatem corporis. ipse usus est ad necessi-
tatem. Non eum lenocinantis favoris aura movebat. non blandi-
entis fortunę sapor illexerat. non tulit ab eo victoriam acci-
dia. non obcecabat eum unquam avaricia. non oblocavit eum despe-
ratio. non inquietavit eum murmuratio. Corpus subiugabat spiritui.
spiritum pietati. pietatem ascripsit pietati. Odivit iam membra
carnalia. inexorabilesque inimicicias carnis ac spiritus continu-
ata rebellio renovavit. donec iam fatiscente corpore. ieiuni-
orum. vigiliarum. totiusque fatigationis continuatione. spiritus in eo
divinum adeptus est. postquam vero presbiteratus ascendit gradum. summum et
celestis scalę gradum ascendit. iam ex continuo non sentiens labo-
rem. sed ex usu laboris resumens consuetudinem. ad altaris enim
consecratus ministerium. se ipsum vivam hostiam in ara crucis im-
molavit. Nam secundum apostolum non conformatus est huic seculo. sed re-
novatus spiritu mentis. probans semper quę sit voluntas dei bona.
et bene placens. et perfecta. Interea beatus hildolfus. et ipse par
ecclesię luminare treverensis episcopatus kathedram possedit. vir
non minoris scientię quam et meritorum. Quorum quidem in eo non maximum fuit non
dum satis compertum est. nam ambos et precellere nobilitate. ac nobiles

scientia. scibilesque meritorum fore oblivionis comedine non la-
tet memoriam. Quem venerandus vir cum non paucis diebus sanctam tre-
sancte rexisset ecclesiam. estuans non minimo solitudinis de-
siderio. ut sine populari tumultu soli vacaret deo. quod invitus
accepit sponte deposuit curam regiminis. securioris amo-
re divini servitutis. Cuius iam adulta fama cum longe lateque
opinionis suę odorem sparsisset. beatus vir herbardus ipse quoque iam
pari episcopatus infula decoratus. visendi fratris adveniens gratia. Quem cum
in partibus vosagi invenisset pro christi amore iam heremitantem. post com-
munis oblationem orationis. et celestis pignoris caritatem. scilicet li-
bationem osculi. ecce inquit frater et carnalis et spiritalis ministri com-
munis ordine diu quesitum et optatum obtines locum. vive nunc in bo-
no desiderio. et valere fame in divino servitio. Non tamen quasi vetus
lassum vel timoris divini obdormiscat studium. sed expergiscere.
evigila. in omnibus labora. opus fac evangeliste. ministerium tuum imple.
sobrius esto. Cumque huiusmodi non pauca in aures audientis effunderet.
mansit ibi diebus satis multis. christoque favente pietate. sicut roma-
nę testatur historia bibliothecę. auctore quidem de sancto papa leone
qui nonus sui nominis sanctam romanam rexit ecclesiam. xiiii. ibi mo-
nasteria construxerunt. vii. ille. et ille vii. Nam cum essent genere nobi-
liores. omnique funditus abnegassent terreno patrimonio. in terra peregri-
nationis et vitę merito et labore proprio conquisita. divino certa man-
cipavere servitio. Inde beatus vir herbardus proprio consulens
ovili vale dicens fratri. scilicet hortatus adhortationibus. baioariam
predicandi gratia ingressus est. Tempore illo regno francorum prefuit
pippinus pater magni karoli. sub quibus viris celestis exercitus
non minima pars domino militabat. Nam diversi flores virtutum
sub his regibus per tota regni francorum loca floruerunt. magnę-
que famam opinionis longe lateque sparserunt. Eo vero tempore viros fa-
mosos beatus pater herbardus famosissimus effectus est. Nam hic cum et
genere precelleret ac scientia. merito tamen longe prestantissimus habitus est.
Mundo enim mortuum quasi quoddam adhuc spirabile gerens corpusculum.
castitate virgo. sacerdos ordine. paupertate monachus. professione
confessor. laboribus martyr. legatione apostolus. mundicia carnis angelus.
nullus gradus detrimentum est. Se ipsum negligens. aliis providens. quę
sua sunt non quesivit. sed quę aliis. Non eum emulationis exesit flam-
ma. non perperam quicquam operatus est. Irritari nesciebat. proximo malum
non cogitabat. Non ad metam presentis temporis super iniquitate gavisus est.
sed semper congaudebat veritati. Omnia sufferebat. omnia credebat.
omnia sperabat. omnia sustinebat. Convaluit in eo scriptura dicentis.
Si quis diligit me. sermonem meum servabit. Quia igitur dominum diligebat.
non tamen verbo et lingua sed opere et veritate caveolas in ethereos
meatus liber ire spiritus optat. Dolvit carcerem. regnum querit. et quasi
gravi diutinoque fessus onere. deposita sarcina respirare. suspi-
rat ad eternam patriam. Verum ne quasi muta prorsus tot sancti patris ob-
mutescerent merita. quantę fuit estimationis apud se foris preden-
tibus deus ostendit miraculis. Nam eo tempore duci etichoni filia ceca
nascebatur. Quo comperto pater erubescens. execrabilem in filiam dedit
sententiam. scilicet ut capite plexa relinqueret vitam. At cum mater-
na super filia querens viscera. patris crudelitatem matris frustra-
batur pietas. datamque nutrici filiam in monasterio secreto nutrire eam 5

25